Ackord Jos. Samuelis: De pneumonia putrida, dissertatio inauguralis medica. Regiomonti. 1791.

[illegible]

DE

PNEVMONIA PVTRIDA

DISSERTATIO INAVGVRALIS MEDICA

QVAM

ORDINIS MEDICI CONSENSV

PRAESIDE

CHR. FRID. ELSNER

MEDICINAE DOCTORE ET PROF. ORD. SECVND. REG. COLLEGII MED. ET COLLEG. SANITAT. MEMBRO, SOCIETATIS REG. MED. EDINBVRG. SOCIO

DOCTORIS MEDICINAE GRADVM ET PRIVILEGIA

RITE CAPESSITVRVS

DIE XI APRIL. MDCCXCI.

H. L. Q. S.

PVBLICE DEFENDET

IOSEPHVS SAMVEL. ACKORD

WEISKIRCHA-POLONVS.

REGIOMONTI

TYPIS G. L. HARTVNGII, TYPOGR. REG. ET ACAD.

CONTRA HANC DISSERTATIONEM

ARGVMENTA OPPONENT

MEDICINAE CVLTORES

GVILIELM. FRID. SCHLEYER, LIVON.

DAVID IOACHIM FRIEDLAENDER, REGIOM.

VIRO
ILLVSTRI GENEROSISSIMO
ATQVE
EXPERIENTISSIMO
D. IOANNI A BOECLER
SACRAE REG. MAIESTATIS POLONIAE
ARCHIATRO ET CONSILIARIO INTIMO
ETC. ETC.

HANC

DISSERTATIONEM INAVGVRALEM

SACRAM ESSE

VOLVIT

IOSEPHVS SAMVEL ACKORD.

Pectoris inflammationem, ſiue vt rectius dicam, partium, quae in thorace ſub reſpiratione mouentur, medicorum recentiores a) bene Pneumoniam appellant, quo nomine morbi genus intelligunt, quod Pleuritidem, Peripneumoniam, et Pleuro-peripneumoniam complectitur; cui ex mea ſententia etiam Diaphragmitis ſiue diaphragmatis inflammatio annumerari debet.

Cognoſcitur autem Pneumonia generatim, febre, pectoris dolore conſtanti ac ſtabili, tuſſi et ſpirandi difficultate. Vbi enim pectoris dolor conſtans acutus latus fodere videtur, et reſpirationem moleſtam reddit, pulſusque durus ac febrilis, et tuſſis ſicca eſt, Pleuritis vocatur. Vbi vero cum febre dolor obtuſus pectus quaſi comprimit, anxietas et tuſſis

a) Bang Praxis med. p. 169.

humida cum sputo primum sanguineo adest, Peripneumonia dicitur; si vero et dolor acutus in latere cum pulsu duro ac febrili, et tussis humida cum screatu parum cruento animaduertitur, Pleuro-peripneumonia habetur; quod si denique praeter febrim dolor acutus circa costas inferiores et ad vltimas dorsi vertebras usque pertinens inspiratione, tussi, vrinae atque alui excretione augetur, respiratio praeterea breuis sublimis atque tussis sicca est et singultus adsunt, diaphragmatis inflammatio siue Diaphragmitis censetur, ob dilirium continuum, quod tamen subinde deest, Paraphrenitis plerumque nominata.

Haud parum tamen interest, febrem nosse, quae cum inflammatione iuncta esse solet. Haec enim non semper eiusdem originis, nec idem eius, quo accedit, tempus est. Interdum enim inflammatio et dolor febrim antegreditur, quae paulo post dolorem exortum consequitur; interdum vero febris primum exoritur, quam dolor et inflammatio excipit, plerumque tamen febris simul cum inflammatione accenditur. Hanc discrepantiam, quae medicos expertos haud fugere debet, bene iam notauerat Riverivs. *b*)

Maioris autem momenti est indolem febris nosse aut statum febrilem cum inflammatione coniunctum.

b) Lazar. Riverii Opera med. vniuers. T. II. Prax. med. Libr. VII. cap. 2. p. 258. et T. III. Libr. XVII. cap. I. p. 104.

Notum enim eſt, febrem, quae inflammationem comitatur, non ſemper puram ac ſolam eſſe inflammatoriam, quae potius interdum gaſtrica, ſubinde putrida ac maligna eſſe ſolet. Vt ad rem illuſtrandam notisſima exempla adferam, neminem medicorum facile inter Anginae ſpecies illa fugit, quae ob ſtatum putridum ac facillimam in gangraenam conuerſionem putrida, ſiue maligna, ſiue gangraenoſa vocatur; nemo neſcit Ophthalmiam, quae ob ſordes bilioſas in primis viis latentes, bilioſa vocatur. Par intercedit ratio cum Pneumonia. Equidem in hoc morbo febris vtplurimum pura eſt inflammatoria, quae ſignis tum Pneumoniae propriis paulo ſuperius allatis, tum ſtatus inflammatorii cognoſcitur, calore nempe ſicco aeſtuante, ſiti, facie rubra, excretionibus naturalibus retardatis. Optimus huius morbi, qui ſanguinis miſſiones et methodum temperantem ac antiphlogiſticam requirit, euentus eſt, quando reſoluitur; longe infelicior, ſi ſuppuratio ſuccedit; grauiſſimus autem eius gradus ſuffocatione vtplurimum, interdum licet raro gangraena terminatur; quem poſteriorem exitum funeſtum indicant, ſputum nigreſcens foetidum, ſubita doloris remiſſio, virium inſignis iactura, pulſus paruus irregularis, tendinum ſubſultus, facies collapſa frigido ſudore perfuſa, artus frigidi ſudore viſcido madentes et in pectore ſtrepitus. Sed non eſt, quod in praeſenti Pneumoniam

inflammatoriam vberius persequar, quippe quae notissima, tot tantisque medicorum scriptis pertractata est, vt eius mentio in nulla fere medicinae practicae epitome desideretur.

Sed non aeque perspecta fuit altera Pneumoniae species, quae ob biliosae materiae consortionem biliosa vocatur. Medici quidem attenti pleuritides atque peripneumonias animaduerterunt, quae sanguinis detractione in deterius ruebant, vomitu autem sponte oborto, aut alui fluxu alleuabantur. Inter praecipuos, ne ad HIPPOCRATIS usque tempora descendam, nominandi mihi sunt BALLONIVS, c) SCHENK, d) BAGLIVVS, e) qui satis euidenter huius morbi mentionem fecerunt. E recentiorum vero numero, qui ab inflammatoria hanc probe disiunxerunt, TISSOT f) et STOLL g) praesertim debent laudari. Declarant autem hunc morbum signa Pneumoniae propria, nec minus, quae

c) BALLONII Oper. omn. Geneu. 1762, T. I. Epidem. et Ephem. Libr. I. Constit. vern. 1575. p. m. 72.

d) SCHENK obseruat. med. Libr. VI. de variis pestilent. defluxionibus. Obseru. 5. p. m. 777.

e) BAGLIVI Oper. omnia. de prax. med. Libr. I. cap. 9. append. ad pleurit. p. m. 46. 47.

f) TISSOT Lettre a Mr. Zimmermann sur l'épidémie courante 1765.

g) STOLL rat. medend. P. I.

ſordes bilioſas in primis viis latentes patefaciunt; ſapor nimirum amarus, halitus ingratus, lingua ſordida, anxietas circa praecordia, tenſionis et grauitatis ſenſus in ventriculo aut gaſtrodynia, ructus, nauſea, vomendi conatus, bilioſae materiae per os eiectio, diarrhoea parca cum crebriori deſidendi cupiditate; aut genae rubrae et ambitus pallidus flaueſcens circa naſum et labia, ſputum ſubuiride et febris ipſa, quae ſubinde remittit, iterumque excandeſcit.

Eſt autem haec febris bilioſa Pneumoniae adiuncta, aut inflammatoriae aut putridae indolis. Priorem morbum, qui vulgo bilioſa pectoris inflammatio, aut rectius febris pneumonica bilioſa inflammatoria vocatur, optime STOLL *b*) expoſuiſſe inter omnes conſtat, qui huius viri meritiſſimi ſcripta ex induſtria peruolutarunt. Hic etiam optime deſcriptae leguntur veteribus iam notae Pleuritides ac Peri-pneumoniae bilioſae, quibus Catharrus aut Rheumatismus iungebatur. De altera pneumoniae bilioſae ſpecie, vbi febris ipſa vel ineunte morbo putridae indolis eſt, vel poſtea mala curatione putrida fit, plures ſcriptores fecere mentionem, e quorum numero praecipuos citaſſe ſufficiat. Huc pertinet.

Inflammatio pectoris bilioſa. TISSOT. *i*)

b) Ibid. p. 3.

i) TISSOT Avis au Peuple, Chap. XX.

Peripneumonia typhodes. SAVVAGES *k*) Spec. 5.

Peripneumonia putrida. Eiusd. *l*) Spec. 2.

Pleuritis putrida. Eiusd. *m*) Spec. 8.

Peripneumonia putrida. QVARIN *n*) quae biliosa est.

Licet e febrium putridarum classe frequentissimae quidem sint ac maxime epidemicae, quae ex cacochylia in primis viis oriuntur, et ad remittentium ordinem pertinent, biliosae nimirum putridae dictae, attamen non vnicae haberi debent, praeter quas, vt clbr. BANGIO *o*) fere videntur haud aliae putridae existant. Datur enim febris magis continens, Synochus putrida, primaria, non ex cacochylia orta, quae potius proxime a materia quadam suscitatur, quae humores inficit eosque ad putredinem pronos reddit. Ad haec illustranda Praes. Exc. sequentis morbi ab ipso visi historiam haud ita pridem in collegio casuali cum suis communicauit auditoribus, vt in ea diiudicanda periclitarentur.

k) SAVVAGES Nosolog. method. T. II. P. I. p. m. 499.

l) Ibid. p. 497.

m) Ibid. p. 455.

n) QVARIN de febribus et inflammat. commentat. p. 326.

o) BANGII Prax. med. p. 60. sq.

„Puella XI. annorum bona valetudine adhuc gauiſa, ſorori natu minori, quae partis cuiusdam gangraena laborabat aſſidere, ac cum ea ob rem domi anguſtam in eodem lectu decumbere cogebatur. Poſt mortem ſororis non bene ſe habet, ciborum faſtidio tentatur, moroſa, laſſa et quaſi defatigata eſt; poſt aliquot dies frigore corripitur cum inſequenti aeſtu, capitis dolore, nauſea exigua, laſſitudine inſigni; aeſtus continuat, poſt meridiem et circa veſperam genae magis rubent, tunc dormire videtur, mane facies pallida vel potius lurida; aeſtus autem parum remittit. Die IVto Praeſ. Exc. ad morbum leuandum arceſſitur. Lingua pura eſt, nulli vomendi conatus, nec nauſea; praecordia non inflata ſunt nec tenſa; pulſus celer, contractus, duriusculus, cutis arida, ſcabra, calor mordax admodum vrit; ſitis vero haud inſignis, ſed magna debilitas et veternus. Hunc in modum morbus progreditur, aluus ſponte exoneratur, excreta valde foetida parum cohaerent; de die in diem fit virium iactura maior, tendinum ſubſultus percipiuntur; circa diem X. in cute maculae apparent paruae rubrae, morſum pulicum aequantes. Aegrota valde imorigera medicinam auerſatur."

Ex enarrata hiſtoria facili negotio colligitur, hanc febrem putridam, quam Praeſ. Exc. dato primum emetico, dein antiſepticis potionibus nempe

ſpiritu vitrioli acidulis, et addito vino analepticis, mixturis ex ſpiritu Mindereri et aqua benedicta Rulandi diaphoreticis, decocto corticis Peruuiani cum acidis mixto et epiſpaſticis externe applicatis, felici cum ſucceſſu remouit, non deuteropathicam ex primarum viarum ca ochylia ortam, ſed potius protopathicam ſiue primariam a mephitide ex parte gangraenoſa ſororis exhalante, et inſpiratione ac reſorptione humoribus admixta fuiſſe profectam.

Quod ſi igitur cum eiusmodi ſtatu putrido, humoribusque ad putredinem propenſis, pectoris inflammatio ſimul incidit, Pneumonia putrida, de qua mihi inprimis ſermo eſt, oritur. Hanc vero non coniectura tantummodo adſecutam, aut theoria et vti Bangio *p*) videtur, litteratorum diſtinctione excogitatam, ſed reapſe quandoque in aegrotis ea decumbentibus eſſe repertam, inter alia praeclarae docent obſeruationes egregii Hvxham de huius morbi hiſtoria optime meriti.

Notauit enim Vir eximius *q*) Menſe Aprili, Maio et Iunio Anni 1740 peripneumonias praecipue inter nautas quorum ſanguis e vena detractus parum erat glutinoſus magis putridus, liuidus quaſi et ater,

p) Ibid. p. 181. ſed miror, eundem auctorem paulo ſupra p. 70. febrem putridam cum pleuritide iunctam bene expoſuiſſe.

q) Hvxham Oper. phyſ. med. T. I. p. 231. ſq.

plerumque nimium solutus. His caput vehementius dorsumque dolebant, praecordia maxime premebantur, aegroti vel cruda vel prorsus saniosa exspuebant, maculae nigrae liuidae fuscae superueniebant, phrenitis effera ac persaepe angina quaedam vlcerosa accedebat; qui morbus, aegrotos dira anxietate iactatos, saepe perpaucos intra dies, more quasi paraphrenitidis imo haud raro hepatitide correptos, iugulabat. Eodem tempore febris putrida petechialis inter nautas praesertim saeuiebat.

Idem Mense Decembri 1745 peripneumonias putridas periculosas *r*) animaduertit, quae ob anni tempus atrabilariae originis fuisse videntur, quasque idcirco peripneumonias spurias putridae indolis forsan vocares. Immensa fuit pectoris grauitas, et spirandi difficultas magna, tussis haud leuis, multus in pectore strepitus; vix venaesectionem morbus admisit; accedebant enim inde debilitas maxima, sputi suppressio, anxietas grauissima, vigiliae perpetuae, mox delirium, tremores, frigidi sudores, tandemque nimis frequenter mors inopinata, saepe inter gemitus et colloquia. Sanguis semper nimium fuit solutus, vrina varia; lingua atro veluti muco oblita, vel sicca admodum et praerubra, saepe tamen glabra, valde liuescens et splendida quasi et aridissima cum bulla nigra interdum ad linguae apicem; haec signa pessi-

r) Ibid. p. 324.

fera et funesta fuere; potissimum si saniosa et valde foetida sputamina eiiciebantur. Sed etiam eo ipso tempore febris quaedam putrida atrabilariae vt videtur originis grassabatur.

Eadem fere mali moris peripneumonia s) Mense Ianuario anni insequentis late vagabatur, cum spirandi difficultate et anxietate maxima, dolore in imo pectore atque tussicula perpetua, perpauca saepe exantlante saepe saniosa prorsus, quae post tres quatuorue dies, viribus interim summopere depressis in malignam neruosam aut petechialem degenerabat. Dominabatur morbus mense Februario et Martio, pluresque opprimebat. Sed cum aegroti, narrante HVXHAMIO t) biliosa interdum exspuerent, et febris diarrhoea critica haud raro solueretur, forsan biliosis putridis eam adnumerares.

Ad pneumoniam putridam etiam referenda esse videtur peripneumonia pestifera SCHENK, u) a SAUVAGES v) maligna dicta (Spec. 4) quam FRACASTORIVM in sua Syphilidite sequentibus cecinisse SCHENK w) meminit.

s) Ibid. p. 332.

t) Ibid. p. 333. sq.

u) SCHENK Obseruat. med. Libr. VI. l. c. Obseruat. 2. p. m. 774.

v) SAUVAGES Nosol. meth. T. II. P. I. p. m. 498.

w) SCHENK l. c. p. 775.

„Insolita exarsit febris quae pectore anhelo

„Sanguinem sputum exagitans (miserabile visu)

„Quarta luce frequens fato perdebat acerbo."

Haec anno 1348 vniuersum orbem immani ferocia adeo deuastasse dicitur, vt si Gallo et Schenk credamus, mortalium decimam partem vix superstitem reliquerit. Primo autem epidemiae tempore magis inflamatoriae dein putridae indolis fuisse videtur. „Primis duobus enim mensibus febre indesinente aegroti sanguinem exspuerunt ac vehementi anhelitus difficultate laborarunt, secundum situm aliquem iacere minime poterant, sedere vero assidue cogebantur; tanta erat anhelandi impotentia, qua bibere et cibum ingerere vix poterant. Infra tres dies occidebat. Prostrati hinc inde ducebant corpora, vehementi rubore splendebant genae, tussis valida inprimis sine sanguinis sputo eos cruciabat, deinde paulo post paucum sanguinis sputum, postmodum ex tussi maior sanguinis quantitas exspuebatur; pulsus erat dissimilis. Post hos autem duos menses, febre indesinente, cum sanguinis sputamine, exanthematibus et abscessibus extima occupantibus, breui aut infra quintum diem omnes fere interimebat." (morbus.)

His praemissis meum est morbi narrare historiam, quae optime ex locis dispersis operum Hvxhamii x) conquiritur, quem auctorem etiam Stevens y) atque Home z) secuti sunt.

Inuadit morbus praesertim nautas post longa itinera et scorbuto insigni adfectos, qui difficulter et breuibus interuallis spiritum trahunt, languescunt et leuissimo motu debilitantur. Incipit vagis horroribus, aestu et totius corporis dolore. Febris succedit cum magno praecordiorum pondere, tussi breui importuna sicca, pulsu celeri, tenui, molli, sudoribus viscidis inaequalibus, et perpetua inquietudine et anxietate. Post duos tresque dies cum tussi, tenuis, glutinosa, cruenta, liuida saniei similis, aut obscurioris coloris fecibus vini rubri aequalis, interdum nigrior, frequenter infensissimi odoris materia exscreatur. Insignis adest debilitas, et calor mordax. Sanguis, qui ob sputum cruentum forsan e vena detrahitur, resolutus est, et crassamentum eius laxum ac tenue, serum turbidum, rubicundum. Quinto aut sexto die plerumque rubrae castanei coloris, liuidae

x) Hvxham Oper. phys. med. T. I. p. 231. sq. p. 324. sq. p. 333. T. II. p. 63. sq. 170. sq. 190. sq.

y) Stevens practical Treatise on Fevers. Vid. Comm. de rebus in scient. nat. et med. gest. Vol. X. p. 691.

z) Home principia med. p. 127.

aut nigrae petechiae erumpunt. Vrina varia eſt, interdum pauca, obſcure nigri vel ignei coloris, ſanguine quaſi remixti, absque ſedimento, interdum cum larga liuida hypoſtaſi, nonnunquam in ea furfuri ſimilis materia hinc illincque diſperſa cernitur. Virium iactura maior fit, interdum animi ad minimum motum deliquium. Sudor partialis praeſertim faciem et caput obſidet. Lingua nigra eſt ac ſqualida et aphthae nigrae in illa apparent; dentes craſſis et obſcuris ſordibus obducuntur. Die ſexto vel ſeptimo interdum ſanguis e naribus fluit aut aluus cruenta deiicitur. Strepitus in pectore et ſpirandi difficultas, deliria, ſopor, accedunt et inſtante mortis tempore, ſudor valde proſuſus et colliquatiuus. Vbi vero euentus felicior eſt, poſt diem octauum vtplurimum ſequitur criſis ſaepius imperfecta et metaſtatica; fauſte enim puſtulae vrentes prurientes et furunculi in nucha, humeris et brachiis, inprimis autem circa naſum et labia erumpunt; perfecta vero criſis largo ſimul ac foetido ſudore et vrina craſſa abſoluitur.

Ex hac morbi hiſtoria haud difficile eruuntur, quae ad eius diagnoſin faciunt. Nam praeter ſebrim, dolorem conſtantem pectus quaſi comprimentem, ſpirandi difficultatem, anxietatem, pulſum tenuem, mollem, tuſſim humidam, ſcreatum ſanguineum, quae peripneumoniae ſunt ſigna, alia

non deficiunt, quae ſtatum putridum indicant, debilitas nempe et virium iactura inſignis, calor mordax, ſudores profuſi, ſputum nigrum foetidum, petechiae rubrae vel liuidae, narium haemorrhagia, et alui fluxus cruentus, dyſenterodes; quibus ſignis quoque hunc morbum ab aliis ei fere conſimilibus dignoſcimus.

Differt enim in eo a grauiori pneumonia inflammatoria, (p. 3.) quae in gangraenam exiit, quod ſtatus inflammatorius magis manifeſtus, calor nimirum aeſtuans, anxietas ſumma, halitus oris calidus, ſputa pauca, faciei rubor vel liuor praeceſſerint;

a biliofa putrida, (p. 5.) quod nulla ſigna cacochyliae ſiue ſordium primas vias infeſtantium adſint.

Inuadit autem hic morbus, qui mali ſunt corporis habitus, ſuccisque ſcatent cacochymicis, inprimis, qui mare nauigantes crudo ſalſoque victu putridoque potu vſi, ſcorbutum ſibi contraxerunt, vel qui carceribus detenti aerem impurum inſpirarunt. In variolis praeſertim confluentibus ſub ſtadio ſuppurationis, febri putridae accidentali ſuperuenit quandoque pneumonia, quae putrida habenda eſt.

In his vero aegrotis ſanguinis pars rubra diſſoluta, tenuior, vaſa ſanguinea minora pulmonum, aut partium, quae ſub reſpiratione mouentur, ſtimulo

quodam praegreſſo intrat, quo facto inflammatio et cum ea ſimul febris excitatur, quae ob humorum conditionem putridae eſt indolis. Sed morbi Aetiologiam, de qua alii forſan ſecus ſentiunt, mittamus, qui potius, quae ad prognoſin et morbi medicationem faciunt, exponere molimur.

Quo maior enim ſtatus putridus, virium iactura inſignis, delirium mite aut coma vigil, et petechiae accedunt, eo maius periculum imminet. Quo magis diſſoluta, nigreſcens, ſanii ſimilis foetida per ſcreatum reiicitur materia, eo peior et periculoſior morbus cenſetur: petechiae et aphthae, nigri aut caſtanei coloris, alui fluxus cruentus, ſudores effuſi, viribus interea magis decreſcentibus, ſtrepitus in pectore et ſopor, funeſtum euentum praenuntiant.

In ſingulis tamen aegrotis, pro corporum diuerſitate et cauſſarum concurſu, morbum variam prae ſe ferre formam, bene notandum eſt. Sunt enim, in quibus ineunte morbo ſtatus inflammatorius putrido eminentior eſt; ſunt notante HVXHAMIO, a) vbi aut phrenitis ſuperuenit, aut anginae vlceroſae quaedam ſpecies, iungitur; dantur, vbi primae viae a ſordibus prauis haud ſunt vacuae; et quis omnes morbi formas vario modo differentes, recenſere ſuſtinebit. In his vero diiudicandis acri iudicio ſane

a) HVXHAM l. c. p. 232.

medico opus eſt, vt ſecundum febris ſtatum, qui alii praeualet, diagnoſin ac prognoſin formet, et curam adhibeat.

Permulta itaque in curatione ſunt circumſpicienda. Sanguinis enim detractio, quam grauitas pectus quaſi comprimens, anxietas et ſputum ſanguineum poſtulare videtur, haud inſtituenda eſt, niſi in morbi principio et vbi ſtatus inflammatorius putridum vi ſuperat; certe a repetita venaeſectione abſtinendum eſt, quam etiam prohibet praua ſanguinis conditio, cruor reſolutus, craſſamentum tenue, ſerum multum turbidum. Mirum eſt, quantum poſt vnicam ſanguinis miſſionem, licet neceſſaria videatur, vires diminuuntur, vt lypothymia, ſudores frigidi ſequantur, et arteriarum pulſus intermittat. Egregius HVXHAM, *b*) quando dubius animo haerebat, num ſanguinem ex vena inciſa detraheret, ſcarificationem et cucurbitulas, interdum cum ſucceſſu applicabat, attamen vno alteroue in caſu, effuſionem e cute conciſa inſequentem obſeruauit, quae nullo modo cohiberi potuit, et ad mortem vsque continuauit.

Nec emetica atque purgantia huic morbo conueniunt; quam ob rem bene a biliosa putrida (p. 5. 14.) diſtingui debet, quae praemiſſis praemit-

b) L. c. T. II. p. 191.

tendis probe fert euacuantia, eaque desiderat. Vesicatoria STEVENS, HOME atque ipse HVXHAM c) damnant, quae tamen in morbi initio tanquam irritantia et rubefacientia, si modo suppuratio euitetur, Praes. Exc. experientia edoctus applicari iubet; quando vero morbo progrediente, petechiae nariumque haemorrhagia, de maiori sanguinis resolutione testantur, damnosa esse existimat. Vesicatoria cum Camphora probe mixta Clbr. SELLE d) quoque commendat.

Caeterum eadem fere curatio, qua in febre putrida vtimur, methodusque antiseptica adhibenda est, quae perficitur morbi initio acidis vegetabilibus, succo Citri, Aurantiorum, aceto, oxymelle simplici, syrupo Berberum, Ribium etc. dein ingrauescente morbo, acidis mineralibus, spiritu Vitrioli, elixirio acido Halleri, elix. acido Vitrioli, quae inprimis potulentis et decoctis pectoralibus admiscentur. Praeterea acida mineralia diluta e. gr. tinctura flor. papau. Rhoead. inordinatum tenuis cruenti ichoris defluxum temperant.

Vbi vero in morbi principio sputa sint glutinosa, ex resoluentium classe sal Ammoniacum et vi-

c) L. c. T. I. p. 333. et T. II. p. 193.
d) SELLE Med. clin. p. 76.

num antimonii Huxhami, aut aqua benedicta Rulandi conueniunt, quae cum aqua quadam destillata Chamomillae aut Foeniculi et oxymelle simplici, aut pro re nata, squillitico, mixturam resoluentem constituunt. Ad sputum promouendum, si in trachea stridor insignis et spirandi difficultas adest, oxymel squilliticum cum aqua Cinnamomi mixtum HVXHAM e) adhibet; alii decoctum radicis Senegae commendant. Vapores quoque calidi ex herbis resoluentibus cum aqua et oxymelle simplici infusis, ad pulmones spiritu duci possunt. Tussis vero, quando importuna et violenta fit, paregorico quodam compescenda est, quem in finem Angli elixirio asthmatico aut paregorico circa noctem vtuntur.

Morbo progrediente mox ad antiseptica roborantia, Lichenem Islandicum nempe et Corticem Peruuianum confugiendum est, quorum decoctionem sal Ammoniacum et oxymel simplex intrare potest, cui si sudor promoueri debet, spiritus Mindereri addatur. Ad sudorem mouendum viresque erigendas bene etiam faciunt camphorata, quae vt magis antiseptica fiant, acidis miscentur, e. gr. solutio Camphorae acida Locheri, aut mixtura, quam HVXHAM laudat, Acetum nempe vini cam-

e) HVXHAM. l. c. T. II. p. 192.

phora saturatum cum roob Sambuci et Rubi Idaei syrupo, de qua cochlear vnum alterumue interdum exhibendum est.

Maximi in curatione momenti est, vt vires sustententur analepticis et vinosis, quae potulentis addi et cum acidis mineralibus commisceri possunt. Vino et aqua cum succo Aurantiorum vel limonum calide hausto, exscreationem, si deficit, promouere HVXHAM docet. Cibis quoque vinum addatur. Diaetam, quae generatim analeptica et antiseptica esse debet, bene HVXHAM *f*) praescripsit. „Sagu, panata, cornu cerui gelatina, poma tosta, decocti hordei cremor, aut auena decorticata, cum pauco vino et limonum succo parca copia sed saepius data, ad aegrotum sustinendum sunt necessaria; fraga, rubi fructus, ribesia et cerasa interdum cum successu concedi possunt. Certe in eo, vt conuenienti ratione vires aegroti conseruentur, et tempus prorogetur, donec humorum acrimonia correcta et pulmones a putrida exonerati sint colluuie, cardo rei verti videtur; in fine ad minimum omnia a bene praescripta dependent diaeta; vbi panis tostus et vinum rubrum portugalense aqua dilutum, (poma) cocta cum corticibus aurantiorum, macis aut cinna-

f) Ibid.

momo beneque acidulata miram praeſtant vtilitatem."

Lubenter coronidis loco aliquot huius morbi enarrationes ex FORESTO *g*) ac LANCISIO *h*) collectas, et obſeruationes, quas acceptas Praeſidi Exc. refero, addidiſſem, niſi tempus ad diſſertationem typis exprimendam admodum breue, variique typographi labores votis obſtetiſſent.

g) FORESTI Obſeruat. med. et chirurg. Libr. I. Obſeru. XVI. Vid. Opera omn. T. I. p. 21.

h) LANCISII Opera omn. Vol. I. Diſſert. de Romani Coeli qualitat ib. et Epidem. Rom. Cap. VI. p. m. 155.